



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moraliũ ... t. ...

In Dominicis totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

X. In Domin. V. Post Epiphan. Cum autem dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminavit Zizania. Matth. 13. 25. Arg. Oeconomia Diabolica.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

CONCIO X.
IN DOMINICA V. POST EPIPH.

Cùm autem dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminavit zizania.

Matth. 13: 25.

ARGUMENTUM.
OECONOMIA DIABOLICA.

I. **V**ulgo Sathanas habetur omnium artium peritissimus. *Aud.* De eo non sine fundamento cecinit Vates:

Cui nomina mille,

Mille nocendi artes.

*Diabolus
mango.*

Ego nihilominus illum veteramentarium reputo, nec in uno quidem opificio, aut arte probè versatum. Quidquid attentasse illum accepimus, id rudissimâ Minervâ, & pingui, obesoque præstitit ingenio.

Gen. 3. 5.

Et primùm quidem è Superùm proscriptus patria, inque hæc ima delapsus, sub arbore scientiæ boni, ac mali, Theosophiæ sublimissimam disciplinam profiteri attentavit; quando primogenitos duos, malefanâ de Divinitate doctrinâ imbutos, ad ambitionem usque ipsius pellexit, dicens: *Eritis sicut Dii scientes*

bonum & malum. Verùm cùm tantam illis sapientiam appromitteret, planè excordes, ac præfatuos reddidit; unâque cum suis discipulis ex hac classe proturbatus est.

Frustratus itaque hac exedra exploratoris personam assumpsisse comperio. Quæsitus enim à Domino, unde veniret? reposuit: *Circuivi terram, & perambulavi eam.* Lustravi orbem universum, inspexi mores gentium, arbitratus sum, quæ agantur, quæ cudantur consilia in Asia, Affrica, America, Europa, observavi in his omnibus rara visu, ac stupenda auditu percepì. *Circuivi terram &c.* Sed & in hoc munere deprehensus versipellis, & mendax spretus à multis, & explosus est. *Iob. 1. v. 7.*

Ergo galeam, ac thoracem indutus chalybeam, fœderatisque sibi variis agminibus, internecina moyere certamina

mina exorsus est; plurimasque animarum munitiones suo subjugavit imperio. Sed & id astu, & officiiis magis, quam virtute præstitit, & à femina quapiam turpissimè delusus dicitur. Etenim quum illam ad duellum evocasset, suscepit illud ea conditione, ut ipse tridente decertaret, se veru usuram. Diabolus ratus vetulæ tria, quovis iōu, vulnera inflicturum, haud abnuit; sed cum dies dicta esset, & locus pugnae designatus, stetit illa sub sepibus fodiendo, & cruentando illum multis vulneribus, hærente interea intra virgeas sepes tridente Sathanæ. Sic obrutus risu, quod se vertit? In hodierno Evangelio ad agriculturam se contulisse legimus. Ille enim propriè inimicus homo est, qui torpentibus hominibus, superfeminavit zizania. Opera itaque pretium erit examinare, quatenus sese in hac arte exerceat, ut aratrum versat, boves propellat, sulcos ducat, seu potius in quo diabolica ipsius œconomia consistat.

NARRATIO, AC PARTITIO.

Agricultura laus.

Cic. orat. pro Roscio.

Hor. in Epod. Od. 2.

II. **O**conomia agraria in se ipsa reprobata non est, sed laude, ac commendatione dignissima. Romanus Orator hoc eam inter alia extulit encomio: *Vita rustica quam nos agrestem vocamus, parsimonia, diligentia, iustitia magistra est.* Beatissimam verò cecinit Lyricus:

*Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.*

Innumera alii in ejus commendationem argumenta conglomerant.

Verum ut res in se bona, ex modo tractandi identidem evadit pessima; ita examinanda nobis est, non tam agricultura in se, quam ordo, ac methodus, quam hic œconomus observat. Innuvit hunc facer textus in hæc verba: *Cum autem dormirent homines, venit inimicus homo, & superfeminavit zizania.* In quibus verbis tres œconomi perversi proprietates occurrunt examinandæ.

§. I.

Prima tartarei œconomi industria nocte operari.

III. **P**rima est, quod aliis à labore fessa membra levantibus, intempesta nocte surgat, boves educat, curru, & aratro jungat, & ad campum maturet. Quis iste modus procedendi? quæ ratio? Ecce cum aliis de die, Phæbo & calo propitio operi non infistit? Quæso vos lunares, an lunaticos, meliore Calepino, dixerim socios, quibus tota hebdomas feria est; nox Sabbathi novissima, labor; nonne unà vobiscum in diversorio helluatus est? Nonne vobis nepotibus suis prælusit, qui Dominica imprimis desudatis nocte, ut obulum lucremini, quem insequentibus feriis iteratò decoquatis? Crediderim facile Symposiastem vestrum fuisse, quem toties quoties inter intemperantissimas comotationes, lufusque invocastis. Nequit ille abesse à vestro contubernio, ubi enormibus litatur carchesiis; & sic sub noctem cogitur

Diabolus cur nocte superfeminet.

tur urgere opus, ne fors alienis fertilior sit messis in agris.

IV. *Cum autem dormirent homines,* &c. Vel numquid vos illum remorati estis ancillæ, & vernaculi. Vix manum movetis, cum illius nomen invocatis. Diabolus debet adesse vobis in culina, diabolus in stabulo, diabolus in horto, diabolus in horreo, diabolus ubique. Quomodo itaque in agrum sese efferre valeat, quem ore, & opere revocatis? Nimis vobis orcus amicus est, nimium familiare nomen, si non numen ipsius in vita, videte, ne etiam in morte.

V. *Cum autem dormirent homines.* Vel ex albo illorum est, qui noctem vertunt in diem, diem in noctem. Magnatum hic stylus curiæ est, non colonorum. Alia jura sunt Dominorum, alia subditorum. Alia studiosorum, alia operariorum. Alia fervorum Dei, alia fervorum mundi; accuratiores hi multo sunt in suis muniis versandis præ illis. Jam faber versat ferrum in incude, quem hæres cæli, sese in omnem gyrat partem sub pulvinaribus. Jam vestiarium chlamydem confecit, quem alter afeetarum necdum filum duxit pro anima sua exornanda. Satis est operis hujus mundi una, alterave hora quietis, cælestibus vix septem horis dormisse, sat est. Profecto non tam iners est orcus, ut stertat, quoad fessos Titan præcipitet equos.

*Diabolus
indefessus
in nocendo*

VI. *Cum autem dormirent homines.* An ergo tam sedulus est, ut diu, noctuque labori insistat, congreget sibi, provideat? Videtur id innuisse Angelus Apocalypiticus, quando describens exacerbatum animum illius, ac Furias, sub-

dit: *Sciens, quod modicum tempus habeat.* Quia nullam habet certitudinem, quando vel mundus, vel vita cujusque finienda, eapropter festinat, ut tenter, & alliciat; angitur, ut hanc vel illam intemeratam corrumpat puellam, ideo nunquam oculum obducit, ut lucra sua per ruinas nostras exaggeret. Et nos, e-heu, indormimus saluti nostræ, quærimus occasiones fallendi temporis; rogamus alios, ut confabulentur nobiscum, ut ludant, dum hora una, alterave elabatur, donec tempus prætereat. Tam flocci id æstimamus, ut quæramus, quibus illud transigamus impendii; ingemiscimus, si nummum fortè perdidimus, & si totos dies in diaboli operibus consumpserimus, nequicquam amisisse opinamur. Exigite apud vosmetipsos, quæ nos premere debeat sollicitudo, quæ purpura fronti inducenda, quum audivimus impensius, ac solertiùs hostes accurare dispendia nostra, quàm nos commoda nostra spectemus?

VIII. *Cum dormirent homines.* Audivi noctem aptissimam agitandis consiliis. Num & hic œconomus infernalis nova coquit consilia de modo seminandi, ac proferendi horrea sua? Utinam id alii factitarent in rationibus æternis prospiciendis; quod hic molitur in fulminatissimis offuciis concinnandis. Ille, e-heu, nimium invigilat damnis nostris, & si fortè quidpiam suis deesse deprehendat machinationibus, totum inferni Areopagum ad sua cogit consilia, cum nos vel alium quemvis virum prudentem in controversiis conscientie nostræ discutiendis adire detrectemus.

IX. *Cum dormirent homines.* An verò, cum

*Apoc. xii.
12.*

*Temporis
dispendia
quæstia.*

*Nox oppor-
tuna con-
siliis.*

cum isti torpore & desidia diffluunt, tum imprimis tartareus rucicola suam sementem spargit, & proximi vitiat? Ita Gl. Interlin. *Cum dormirent, & incuria torperent.* Oscitantia pulvinar quoddam diaboli dicitur, sed in eo non tam recumbat, quam senatum, ac consilia in nostram perniciem coadunat, in eo seminat, & metit.

X. *Cum dormirent homines.* Ut sit, liquidum est, pessimum omen esse, amare caliginem, & operari in tenebris. Iniquorum institutorum consuetudinis est, merces in umbrosis exponere officinis. Perverforum studiosorum, nocte concubia vicos obire, & per compita grassari; adulterantium civium tessera, latebras quarere; Jobo teste: *Oculus adulteri observat caliginem.* Furum proprietas, ut occidit Vates; nocte intepsta vagari: *Ut jugulent homines,* inquit, *surgunt de nocte latrones;* bubonum, vesperilionum, ferarum sub noctem sese e nido, aut caverna proripere, teste Psalmista: *Facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestia silvae; catuli leonum ut rapiant, & quarant escam sibi.* Filiorum denique tenebrarum, & non lucis sectari caliginem; filiorum inferni, & non caeli averfati lucem. Etenim, *Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem,* illam, inquam, revelandam in temporibus novissimis; ad lucem visionis beatificae, ad Lucem, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

XI. Videtur id vaticinatus illis esse David, cum psalleret: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Cur enim non ait, nox diei eructat verbum? Cur non precatur ei

ave, aut vale, cum illam sequatur? Aut vice versa, cur dies noctem non salutat, aut sua consulta communicat? Cur dies diei bonum verbum dicit; nox nocti duntaxat scientiam? Quae est haec scientia? quod verbum? In confesso est, per diem prospera, per noctem tristia, & adversa indicari, & diem felicium, noctem infelicium esse hieroglyphicum. Cum itaque dicit, *Nox nocti indicat scientiam,* quid aliud vaticinatur, quam eos, qui in hac vita lucem exoli sunt, in alia etiam tenebris involvendos. Eapropter merito monet Veritas aeterna: *Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebra comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, nescit, quò vadat; quoad cadat, ruinam saepe lethali, ac irreparabili.*

§. II.

Altera perversi aconomi proprietatis, superseminare zizania.

XII. **A**lterum, quod in fulminato aconomo hodiernum damnat Evangelium, est, quod tritico optimo superseminaverit zizania. *Venit inimicus homo, & superseminavit zizania.* Caestis Patertamilias initio creaturae seminavit purissimum triticum: *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, & erant valde bona;* at hoc vitiauit inimicus homo. Unde S. Chrysologus: *Nullum malum ab originis processit auctore. Ab inimico superseminat est malum.* Superseminavit iniquus, non seminavit; praecedunt Creatoris bona, corruptio diabolica subsequitur. Ea ob rem Tertul. dicitur: *Super-*

Glossa.

Impii amant tenebras.

Job. 24. 15.

Ps. 103. 21.

Ioan. 3. 20.

Tenebrarum amor, omen infausum. Psal. 18. 3.

Ioan. 12. 13.

Diabolus superseminat lolium.

Chrysol. serm. 96.

*Tertul. lib.
de anima,
c. 17.*

seminator, & frumentaria segetis nocturnus interpollator. Quoniam quem Deus faciens vocavit mundum, inficiens inimicus reddidit immundum; ipse bonis mala, virtutibus vitia, vitalibus mortalia, nostram superfeminavit in ruinam.

XIII. Atque utinam solus ipse tam iniquus agricola foret. Utinam solus ipse superfeminaret, solus piis conatibus obsisteret, minus profectò dispendium multis agris inferret. Verùm plures habet mercenarios, plura mancipia, quæ eidem ancillantur, eique in templo, foro, angulis omnibus deserviunt.

Habet suos in Ecclesia vicarios Hæresiarchas, qui probæ, & selectæ sementi Evangelicæ, zizania falsorum dogmatum inspergunt. Reducite vobis in memoriam eorum origines; ubinam primam jacere sementem occeperint. Numquid perrexere ad incultos Ethnicorum agros; ad gentes, quæ semen Evangelii nondum susceperunt? Neutiquam. Inter fideles, inter Orthodoxos, in agris optimè confitis sum illi lolium disperferunt. Asiam Catholicam vitiavit Arius, Nestorius, & alii; Africam Donatus, Manichæus, Pelagius, & alii; Europam Lutherus, Calvinus, & alii. Is stylus antiquorum, is modernorum Hæresiarcharum semper extitit. Non legeris facilè, per eos ab infidelitate adductos, aut meliori vitæ redonatos.

*Tertul. ubi
supra.*

Id Dominus JESUS in præsentī parabola, teste Tertulliano, edocere nos voluit, & veluti signum distinctivum verorum, ac falsorum Ecclesiastarum ponere. Verba ejus sunt: *Revertar ad principalitatem veritati, & posteriorita-*

tem mendacitati deputandam. Ex illius quippe parabola patrocínio, quæ bonum semen frumenti à Domino seminatum primò constituit, avenarum autem sterilis fœni adulterinum ab inimico diabolo postea superinducit. Propriè enim dotrinarum distinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestum fit, id esse Dominicum, & verum; quod priùs traditum, id autem extraneum, & falsum, quod posterius immixtum. Notate hos, quoscumque averfos fecit, vel Wittembergæ, vel Geneva, & ne serò littus arasse, aut seminasse ingemiscatis, vel nunc sapite, & ad agnum à Domino ipso satum vos recipite.

XIV. *Superfeminavit zizania.* Habet item suos Sathanas mercenarios in civitatibus, qui discordiæ, ac jurgiorum occasiones seminant. Vident quempiam agrum suum perbellè excoluisse, domum instaurasse, hortum sepivisse, & tum primùm jus *protomisios* sibi arrogat, tum litigare incipiunt, aliosque deturbare moliantur. Quo item nomine donandi, qui familiam avocant, aliorum contractibus sese interponunt, pretium augent, alios abducunt, cum dispendio aliorum supplantant. Dicite, an non hoc sit imitari œconomum iniquitatis? An non ipsi deservire? An non superfeminare zizania? Loquatur ex omnibus D. Anselmus: *Venit inimicus ejus, & superfeminavit zizania; id est, venit diabolus Deo inimicus, & superfeminavit discordias inter fratres.* Ipse inter Cain & Abel, ipse inter cognatos & amicos, inter proximos & concives, inter superiores

*Discordes
supersemi-
nant zizania.*

Ansel. h. l.

riores

riores ac subditos semen jurgiorum per suos ministros dispergit.

Fraus
mercato-
rum, &c.

XV. *Superfeminavit zizania.* Habet suos adjutores in omnibus vicis & angulis. Illos dico, qui in granario effœrum, & infatuatum frumentum vivaciori commiscent, qui aleces fœtidos recentibus interponunt, pannum temporum vitio corruptum, pro recenti exponunt. Illas dico, quæ in cellariis superfeminant viliores potum meliori, secundariam cerevisiæ commiscent, vina adusta aqua temperant. Illos dico, qui pecuniam ineptam pro bona obtudunt. O impij, quid agitis? Quid molimini? Nõne hoc est Coccyti affeclam se profiteri? Nõne hoc est superfeminare zizania? Nõne de vobis prolatum illud oraculum videtur: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Filii Sathanæ estis non substantia, sed imitatione; non formaliter, sed instrumentaliter. Filii inquam perquam morigeri, qui non modò illius exequimini imperium, sed antevertitis desiderium: *Desideria patris vestri vultis facere,* quod ille intendit, idem vos molimini, quod ille exequitur, idem vos æmulamini; quod ille serit, idem vos, & quod consequens est, quod ille collegit, idem & vos metetis.

Ioan. 8. 44

§. III.

Messis iniquissimi Oeconomi.

XVI. **Q**uodnam illud? Indicat id ipsum hodiernum Evangelium: *Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zi-*

zania. Quando jam semen emerfit in herbam, culmique spicis essent onusti, tunc simul enata zizania prodita dissimilitudine cœperunt apparere. Quod *Messis respondet se- menti.* *Pro v. 22. 8* *Qui seminavit, hoc & succrevit, hoc & metet.* Quippe nemo colligit de tribulis ficus, aut de spinis uvas, aut de lolio triticum. *Qui seminavit iniquitatem,* ait Sapiens, *nunquam metet.* LXX. vertunt: *Qui seminant mala, metent mala.* Hebræus autem: *Qui seminant pravitatem, metent dolorem, calamitatem.* Id est, qui seminant culpam, metent pœnam.

Vis & energia allegoriæ est in verbo *seminat*: Nam quemadmodum semen habet vim producendi gramen sibi simile; sic culpa habet vim producendi pœnam sibi similem. Et sicut granum satum parit aliud multiplex: ita pariter culpa una multiplicem parit pœnam. Mala enim semina fœcundiora sunt bonis. Si ergo semen virtutis parit gloriam, & jucunditatem; semen vitiorum pariet majore cum incremento confusionem, pœnamque sempiternam. Quemadmodum denique eadem terra, quæ semen recipit, recipit & messem; non secus idem agricola, qui serit iniquitatem, metit pœnitentiam, ac calamitatem. Illam ut granum, hanc ut paleam, confusionem ut stipulam.

XVII. Id ipsum est, quod Apostolus inculcat Galatis: *Quæ seminaverit homo, hæc & metet.* *Quoniam qui seminat in carne, de carne metet corruptionem,* *Gal. 6. 7, 8.* Vel ut Poëta occinit:

*Quæ sibi quisque serit presentis tempore vite,
Hæc sibi messis erit, cum dicent: ITE,
VENITE.*

Stultif-

Stultissimus virorum omnium esset, qui ex avena sata sibi polliceretur triticum: ita non minus demotæ mentis, qui ex culpa sibi obventuram ominaretur jucunditatem, ac beatitatem. *Quæ seminaverit homo &c.*

XVIII. Paulò diversâ phrasi eodem tamen sensu loquitur Oseas Vates: *Ventum seminabunt, & turbinem metent.* Ut enim aër, seu ventus inclusus excitat terræ motus, multaque alia damna progenerat: ita culpa animo concepta parturit ruinas, flagella, perdicionem, nonnunquam temporalem, sapius æternam. Unde Arabicus vertit: *Seminaverunt ventum, & in perditione auferentur.* Notat verò Antonius Fernandez, turbinem propriissimè signare tribulationem. Est enim ventus pulverem dissipans, quo homo incitatur, & rotatur *ut pulvis, & cinis, quem projicit ventus à facie terræ.* Vel ut alter textus legit: *Inimicorum anima rotabitur, quasi in circulo funde.* Jam in hanc, jam in illam partem girabitur, jam sursum, deorsum rotabitur, quoad tandem allidatur, ac conteratur.

XIX. Superaddit Sapiens præfatæ suæ sententiæ: *Et virgâ iræ suæ consumetur.* Cornelius in hæc verba appositè ad semen, & messem, de qua sermo præcessit, docet; per hanc virgam intelligi posse triturationis flagellum, quo frumenta deteruntur. q. d. Iniquus qui alios, eorumque segetem, ac bona flagellavit, trituravitque, ipse pariter, ac bona ipsius ab aliis triturbantur; ut in quo peccavit, in eodem puniatur. Sic ergo virga, seu flagellum, quo excutien-

dæ erant ejus fruges; non fruges, quæ nullæ sunt, sed ipsummet ejus lolium, ac spinas, id est scelera diverberabit, ac excutiet. Virga inquam, & flagellum, quo flagellabitur vel à Deo ipso, vel à Judice, vel ab alio quomodolibet, quatenus pœnam nequitæ suæ recipiat.

Revocate, revocate quæso vobis, quot à Caino usque in præsens tempus hoc flagrum vindex senserint, quàm justis urnis in plerosque maleficos delævitum sit? Et ut alii plures illud in vita evaserunt, à morte profectò eò graviorem, quò tardiolem sentiunt talionem. Ut ut nunc certis de causis semen impiorum sinit certis de causis crescere, veniet tempus æstatis, idque proximè, quo dicet messoribus suis: *Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.*

XX. Cum itaque inimicus homo per varias tentationes ad peccatum lolium suum in multorum præcordiis jecerit, vigilemus, ut actutum illud expurgemus. Et si fortè ejusmodi inutilis herba jam cœperit in culmen assurgere, impigerrimo studio antequam maturescat, eradicemus.

Primæ cogitationes sunt in corde nostro seminis instar, consensus in opus culmi qualitatem præfert; spica cum granis executionem operis exhibet. Quod ne in nobis ad maturitatem assurgat, ut primùm herba inutilis apparuerit, excaudicemus, ne radicem mittat consuetudinis, & triticum virtutum offocet.

Enitamar

Ant. Fernand. in v. 13.

1. Reg. 25.

Pœna respondet sceleri. Ibid. Cor. h. l.

Enitamur, inquam, ut non modò proximorum campis nullum lolium inaspergamus; sed in agello cordis nostri identidem confideamus, confidentes imperfectiones nostras, & pravis inclinationibus obviam euntes. Mundemus pretiosum agrum Aceldama, id est, agrum sanguinis, pro quo Christus mortuus, sibi eum, non diabolo emendo. Simus œconomi lucis, cuncta operando in luce, & semen optimum bonorum operum spargendo, & in cœlestia horrea invehendo.

Tua infinita Bonitas, Christe Redemptor, te eò adduxit, ut agrum Eccle-

sia tua, tanto impendio mercaberis, pretioso verbi tui semine sereres, rosè cœlesti, ac gratiarum imbre irrigares. Largire, quæso, ô Domine, ut hoc semen in cordibus nostris ad maturitatem provehatur, ne zizaniis excrecentibus in fasciculos vinciamur, & in ignem inextinguibilem, in animas ipsas desævientem, ab omnipotente dextera, in ultionem scelerum inflammatum projiciamur. Introduc nos Domine, perinde ac triticum electum in horreum æternæ felicitatis, quod nobis inestimabili pretio mortis tuæ aptare dignatus es.

Fiat. Fiat.

